

DE ADMINISTRA. SACRAMENT. Fo. XXXI.

requirant ac adhibeant, nostris tamen Suffraganeis potestatem facientes, aliter in diocēsis suis, vti consultius videbitur, super hac re ordinandū.

Publicæ pœnitentiæ vsus in ecclesiā reuocāndus. Cap. XXXVIII.

**I**N publicis vero criminibus, quemadmodum necesse est, ita iubemus ad canones antiquos publicæ pœnitentiæ regredi, atque adeo ad Christi & sui discipuli Pauli institutum reuerti, qui ad Corinthios exemplo ostendit: Quomodo oporteat ecclesiam in publice peccantem animaduertere, donec ipsi publice peracta pœnitentia satisfecerit. De quo fusius dicemus sub titulo, de iurisdictione ecclesiastica contentiosa. 1. Corinth. 5

Recitata confessione, quid agendū per parochum. Ca. XXXIX.

**P**eracta confessione, sub absolutionem sacerdos monebit confitentem, vt quod admissum est, detestetur, vt sic deinceps vitam instituat, ne in vllū lethale crimen posthac incidat, quemadmodum Christus ad mulierem dixit: Vade & noli amplius peccare, vtq; eum affectum habens, credat per dei misericordiam in virtute sanguinis Christi per absolutionem impartiendam in verbo eius sibi remissum iri peccata. Iniungat etiam illi fructum dignum pœnitentiæ facere, ac tum denique imponat manū ac absoluat confitentem. Iohan. 8.

IN MATRIMONII Sacramento quid agatur. Cap. XL.

**D**V<sup>M</sup> Matrimonio iungunt parochi virum ac mulierem, docebūt, matrimonium institutum esse a deo, confirmatum per Christum, vt Geneleos secundo, & Matth. xix. legimus. Quod sacramentum si quis, sicut de cetero, acceperit, accedente sacerdotali precatione, cōfertur donum Spiritus, quo vir diligat vxorem amore casto, sicut Christus dilexit ecclesiam. Mulier vici- Gene. 2  
Matth. 19  
Ephe. 5

ssimā, propter Christum amet reuereaturq; virum suum vti dominum. Vterque liberos (si dentur) summa cura instituāt ad Christianam pietatem. Copiosam monēdi materiam Paulus ad Ephe. v. subministrat.

Quemadmodum monendi sunt, qui matrimonium contrahere affectant. Cap. XLI.

**Q**V<sup>M</sup> matrimonium ante lapsum Adæ, propter procreādos liberos institutum, ac benedictione dei firmatum sit, qua dixit ille: Crescite & multiplicamini, & replete terram, Peculiariter autem homini, Erunt duo in carne vna. Propterea relinquet homo patrem & matrem suam, & adheret Aug. de Ge  
nesi ad fram  
lib. 9. c. 3.  
& sequen.  
Gene. 1.  
Gene. 2

bit vxori suæ. Nec ratio coniunctionis, seu benedictio post lapsum deficit, sed tantum quod sanis potuit esse officium, id ægrotis factum etiam sit remedium, Dum vtriusque sexus infirmitas propendens in ruīnam turpitudinis, recte excipitur honestate nuptiarum. Quemadmodum diuus Paulus 1. Corin. 7

ait: Vnusquisque vxorem suam habeat propter fornicationem, nimirum vt

G      tandā.